



IN NOMINE IESU !
METHODICA
PRÆCIPUO-
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,

Cujus
DISPUTATIONEM XX.
De

Evangelio,

PRÆSES

JOHANNES Deutschmann/

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,

ET RESPONDENS

M. ZACHARIAS VVAGNERUS,

Radeberga Misnicus,

proponens

D. Sept. Horis consuetis.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, ANNO MDC LXIII.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



IN NOMINE JESU!

1. **E**Xpositio *Restorationis medio ratione Nostri*, nisi. *Veni Penitentia*, B. Lutherus ad *Media* respectu *Dei* tractationem dirigit. *Duplicis a. generis* sunt *Media Restorationis*, quibus *Deus nostri Restorationem* gratiose perficit, nim. aliud *audibile*, aliud *visibile*: prius *Evangelium*, posterius *Sacramentum* appellatur; prius hoc, posterius sequentibus articulis explicatur.

2. Quod a. *Evangelium sit medium restorationis*, probatur (1) *ex appellatione*, quia nihil aliud sonat, quam *latum nuncium*, nim. de *Nostri reparatione*, quomodo mala per peccatum admissa, nobis auferantur, bona v. per peccatum amissa de novo conferantur. (2) *ex definitione*, siquidem ut ex *Form. Concord. p. 592. 593. 714.* colligitur, *Evangelium nihil aliud est, quam doctrina divinitus revelata, plena consolationis, de Misericordia Dei & gratuita remissione peccatorum per & propter Christi meritum, fide apprehensum*: quæ nostram *restorationem* accuratè proponunt. (3) *Ex Evangelii operatione*, quia, juxta *Paulum Rom. I. 16.* *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti*; quæ de causa *medium omninò restorationis* appellatur, quia *fidem & salutem*, tanquam *divina potentia*, fidelibus operatur. (4) *Ex officii proprii consideratione*, quia juxta nostrum articulum, non uno modo consulit & auxiliatur nobis contra peccata. Nam *Deus superabundanter dives & liberalis est gratia & bonitate sua primum per verbum vocale, quo jubet predicari remissionem peccatorum in universo mundo. Et hoc est proprium officium Evangelii.* (5) *Ex aliorum mediolorum collatione.* Nam sicut primum per officium *Evangelii* nostra *restauratio* perficitur: sic etiam secundo per *Baptismum*, tertio per *venerandum Sacramentum Altaris*, quarto per *potestatem clavium*, atque etiam per *mutuum colloquium & consolationem fratrum Matt. XIX. 15.* Hæc a. omnia *symbola nostræ restorationis vel media, vel organa* sūt, quatenus

Evangelii doctrinam includunt. *Evangelium* igitur primum est *nostrae restorationis medium*.

3. Est a. doctrina de *Evangelio*, juxta praesentem Articulum, vel *Generalis*, vel *Specialis*. *Generalis* partim *Naturam*, vel *statum*, partim *Efficaciam*, vel *officium Evangelii* tradit. *Evangelii Natura* partim per *Onomatologiam* *παχυλως* indicatur, partim per *pragmatologiam* *ἀκρῆβως* explicatur. *Onomatologia*, quoad *Etymologiam*, ostendit, quod *Evangelium* sit origine *nomen Graecum*, civitate latina donatum. Est autem composita vox, descendens à partic. *ἐν* & *ἀγγέλλω* *nuncio*, qua de causa vi vocis nihil aliud, quam *bonum, letum, faustumq;* *nuncium* significat. Quo tum respicitur ad *causam Efficientem*, quia *letum* hoc *nuncium originaliter* à divina *Bonitate & Gratia*, causaliter à *bonis Dei nunciis*, h.e. *Evangelistis*, inter quos *Filius Dei principalis Evangelista* *Esa. LXI. 1.* juxta gratiosam Dei voluntatē proficiscitur: ad *causam materialem*, quia *bonum omne letum hoc nuncium* complectitur, quod ex gratia Dei salutifera nobis contingit, sive praesentem *vitam spiritualem*, sive *caelestem futuram* respiciamus: ad *causam formalem*, quia *blandis allocutionibus, exoptatis promissionibus, gratuitis oblationibus, meritisq;* *consolationibus* constat, quibus Deus *ad Cor loqui* miseris hominibus in sacris literis dicitur, cujus *phraeos* magna videtur *emphasis*, ut patet ex collatione *Gen. XXXIV. 3. L. 21. Judic. XIX. 3. Ruth. II. 13. II. Paral. XXX. 22. XXXII. 6. Esa. XL. 1. 2. Hos. II. 14.* ad *causam finalem*, quia *vera, caelestis & sempiterna felicitatis nuncium* est.

4. Quoad *Homonymiam* sumitur *Evangelii vox* (1) in *sensu Etymologico*, & quodcumq; *bonum, letum & faustum nunciū* significat, *eine gute Botschaft / eine fröhliche Botschaft / eine gute Nachricht / oder gute neue Zeitung* (2) in *sensu Metonymico*, quia per *metonymiam adjuncti* notat *premiū, vel munus*, pro *fausto letiq;* *nuncio* donatum. (3) in *sensu Metaphorico* denotat *sacrificium*, quod ob *eventum aliquem felicem*, vel *nuncium bonum*, aliunde nobis *annunciatum*, de quo vel ipsi *gaudemus*, vel *amicis nostris* *congaudemus*, Deo loco *gratitudinis offertur*, sicut patet ex *Isocrat. Areopag. ἐπὶ τοῖς αὐταῖς πράξεσιν εὐαγγέλια μὴ δὲ*

ἡδὴ

ἡ δὲ τὰ ἄλλα μὲν, ob tantas res gestas jam bis sacrificia fecimus. (4)
 in sensu Theologico, vel Biblico, qua ratione significat (α) ἐξοχικῶς
 & in specie latum illud nuncium, toti mundo nunciatum, ac o-
 mnium longe gratissimum, de gratuita remissione peccatorū, ple-
 naria cum Deo reconciliatione, & vite eterna hereditate, cunctis
 per fidem in J. Christum, Filium Dēi, Mediatorem unicum, donan-
 da. Sic accipitur *Matt.* IV. 23. IX. 35. XXIV. 14. *Marc.* I. 15. XIII. 10.
Act. XV. 7. *Rom.* I. 16. XV. 16. 29. I. *Cor.* XV. 1. II. *Cor.* IV. 3. 4. XI. 7. *Gal.*
 I. 11. *Eph.* I. 13. III. 6. 19. *Phil.* I. 5. 7. *Col.* I. 23. II. 2. IV. 8. 9. I. *Tim.* I. 11. I. *Pet.*
 IV. 17. &c. [6] σωστικῶς doctrinā legis & Evāgelii simul in-
 cludit *Marc.* XVI. 15. (γ) ὀργανικῶς l. ἱερονομικῶς ipsā Evāgelii (si-
 ve synecdochicè, sive propriè sūti) doctrinā, prædicationē, annun-
 tiationem promulgationem, Ministerium, Evāgelicum *Rom.* I. 1. 9.
 II. 16. X. 16. XI. 28. XV. 19. XVI. 25. I. *Cor.* IV. 15. IX. 12. 14. 23. II. *Cor.* II. 12.
 IX. 18. IX. 13. X. 14. XI. 4. *Gal.* I. 6. 7. II. 2. V. 7. 14. *Philip.* I. 12. 17. 27. II. 22.
 IV. 3. 15. *Col.* I. 5. I. *Theff.* I. 5. III. 2. II. *Theff.* I. 8. II. 14. II. *Tim.* I. 10. II. 8. *A-*
po. XIV. 6. Ubi tamen observandum, quod nonnulla signifi-
 onis hujus loca suo modò non inconvenienter ad primam si-
 gnificationē Biblicā etiā referri possunt. (4) ὁμολογητικῶς, Evā-
 gelii, seu doctrinæ de Christo confessionem *Marc.* II. 9. 35. X. 29. II.
Tim. I. 8. *Philem.* 13. [5] μελωδικῶς historiam Evāgelicam de
 Christo, ejus natiuitate, vita in his terris, rebus gestis, doctrinā,
 miraculis, persecutionibus, morte, resurrectione & ascensione &c.
 nostre fidei causa *Joh.* XX. 31. literis consignatum. Qua ratione
 vulgò libri quidam Biblici dicuntur Evāgelium Matthæi, Mar-
 ci, Luca, Johannis *Matt.* XXVI. 13 *Marc.* I. 1. XIV. 9. Vel Ecclesia-
 stico, quo respectu Textus Evāgelici, diebus Dominicis & Festis ex-
 plicari soliti, textibus Epistolicis contradistincti, communiter E-
 vāgelia nuncupantur, v. g. Evāgelium Dom. I. Adventus, Evā-
 gelium in Festo Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphānias &c.

5. Dicitur aliās Evāgelium proprie sic dictum (1) Ευαγ-
 γέλιον τῆς βασιλείας *Matt.* IV. 23. IX. 35. XXIV. 14. *Marc.* I. 14. (2)
 λόγος τῆς εὐαγγελίας *Act.* XV. 7. (3) τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάρι-
 τος *Act.* XX. 24. (4) εὐαγγέλιον θεοῦ *Rom.* I. 1. XV. 16. I. *Theff.* II.
 2. &c. I. *Pet.* IV. 17. (5) εὐαγγέλιον Ἰησοῦ θεοῦ *Rom.* I. 9. (6) τὸ εὐαγ-
 γέλιον τῆς χάριτος *Rom.* I. 16. XV. 19. I. *Cor.* IX. 12. 18. II. *Cor.* II. 12. IX

13. X.14. Gal. I.7. Phil. I.27. I. Thess. III.2. (7) τὸ εὐαγγέλιον τῆς κυ-
 ρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ II. Thess. I.8. [8] τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης
 II. Cor. IV.4. (9) τὸ εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης Ephes. VI.15. (10) Μυστή-
 ριον τῆς εὐαγγελίας Ephes. VI.19. (11) τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας
 Ephes. I.13. [12] ὁ λόγος τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον Col. I.5. (13)
 τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης ἡ μακαρία θεοῦ I. Tim. I.11. (14) εὐαγγέλι-
 ον αἰώνιον Apoc. XIV. 6. (15) ἡ ἀλήθεια τῆς εὐαγγελίας Gal. II.5. Ali-
 as synonymicas & periphrasticas Evangelii descriptiones nunc stu-
 dio brevitatis omittimus.

6. *Pragmatologia causarum evolutionem tradit, & naturam Evangelii plenius quodammodo proponit, sed nos hic prolixè de causis agere non possumus, brevissimas proinde lineas ducimus, lectorem, plenioris tractationis avidum, ad Locos Theologicos remittimus.* Est a. *Evangelii causa* vel *Efficiens*, eaq; par-
 tim *principalis*, ipse *Deus*, nimirum *Deus Pater* [1] quia est *Evangelii-
 um Dei Patris*, quod ante promiserat per prophetas suos in scriptu-
 ris sanctis de *Filio suo*, qui natus est ex semine *David secundum car-
 nem Rom. I.1.2.* (2) quia est *Evangelium* τῆς βασιλείας regni
Matt. IV.23. &c. *Deus a. Pater regnum nobis in benedicto filio*
paravit Matt. XXV.32. (3) quia est *Evangelium* τῆς χάριτος. *Act.*
XX.24. per quod *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris no-*
stri Dei, non ex operibus justitiæ, sed secundum misericordiam sal-
vos nos fecit Tit. III.5 quia sic *Deus Pater dilexit mundum, ut fili-*
um suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pere-
at, sed vitam eternam habeat Job. III.16.

7. *Deinde Deus Filius est causa principalis Evangelii* (1) quia æ-
 ternus *Evangelii Consiliarius Esa. IX.6.* (2) quia tanquã *sapientia Pa-*
tris substantialia Prov. XIX.1. *autor Evangelii fuit, & nunciũ Evangelii-*
cum ab æterno decrevit, tanquam mysterium à seculis absconditum
Rom. XVI.25. (3) quia tanquam λόγος & orator Patris, primus in
 paradiso *nuncius Evangelicus factus, & protoplastis doctrinam E-*
vangelicam de redemptione l. salute generis humani primum annun-
ciavit. (4) quia est *Evangelista verè principalis Esa. LXI.1.* & *verus*
Doctõr Evangelicæ justitiæ c. LXIII.2. (5) quia post *incarnatio-*
nem, in diebus carnis, Evangelii doctrinam Apostolis & omnibus
 suis

suis auditoribus explicavit & illustravit, uti passim Evangelicæ historia testantur. [6] quia Evangelium est εὐαγγέλιον τῆς υἱῆς Jes Rom. I. 9. εὐαγγέλιον τῆς χάριτος Rom. I. 16. & c. εὐαγγέλιον τῆς Cōmmoditatis Eph. I. 13. Christus a. noster Salvator est I. Tim. IV. 10.

8. Deniq; Spiritus S. est efficiens causa l. autor Evangelii, [1] quia tanquam Spiritus Dei Prophetis, & aliis viris θεοπνεύστοις Evangelium inspiravit, cum hæc doctrina, cum omni sua scriptura, sit θεόπνευστος II. Tim. III. 16. [2] quia Christum, Principalem Evangelistam ad officium Evangelisandi visibili comparitione, suisque donis infinitis, secundum humanam naturam instruxit, & inauguravit Matt. III. 16. IV. 1. Job. III. 34. (3) quia veros Evangelii Doctores & universales præcones, Apostolos, miraculosis donis exornavit Act. II. 2 seq. ut Evangelium omni creaturæ prædicare potuerint Marc. XVI. 15. (4) quia est λόγος τῆς ἀληθείας Col. I. 5. Spiritus a. Sanctus est Spiritus veritatis Job. XIV. 17. Doctor & Ductor veritatis Joh. XVI. 13. (5) quia est Evangelium τῆς εἰρήνης, vel pacis Eph. VI. 15. Spiritus S. autem est Spiritus pacis, vel Deus pacis, qui sanctificat nos per omnia, ut integer Spiritus noster, & anima & corpus irreprehensibiliter in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur I. Thess. V. 23.

9. Ad hanc principalem causam, ut ita loquar, Operativam, etiam referre debemus, tum principalem causam impulsivam, quæ dicitur bonitas, gratia vel Misericordia Dei, quia nihil aliud est Evangelium, quam doctrina de gratia & misericordia Dei, solum in Christi merito fundata, Deusque non justitiæ rigore, sed gratiæ fervore motus, hæc Evangelii doctrinam nobis revelavit. Hinc etiam B. Lutherus hic expressam bonitatis & gratiæ mentionem facere voluit. Et communiter in scholis nostris ex Compendio B. Hutteri describitur Evangelium, quod sit doctrina divinitus revelata, plena consolationis de MISERICORDIA DEÏ, & gratuita remissione peccatorum per & propter Christi meritum, fide apprehensum. Tum principalem causam constitutivam, quæ verè dicitur Sapiencia divina: nam quot in evangelio reperiuntur mysteria, tot infinite Sapienciæ divinæ testimonia prostant. Nec n. vel ex humana, vel ex angelica sapientia mysterium Evangelii præ-

mana-

manare poterat, quia tam *angelorum*, quam *hominum sapientia finita* dicitur: sola *sapientia divina* tantorum *mysteriorum* originem dare noverat, quæ respectu *creaturarum* alias esse dicuntur ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατὰλήψιν.

10. *Partim Instrumentalis.* Nam *instrumentalis Evangelii causa* dicitur ipsum *Dei verbum vocale*, sicut eam appellat *B. Lutherus.* Est *a. instrumentalis causa verbum vocale.* (1) *ratione appellationis*, quia dicitur λόγος τῆς εὐαγγελίας Act. XV. 7. λόγος τῆς ἀληθείας Col. I. 5. οἱ λόγοι τῆς χάριτος, qui de ore Christi procedebant Luc. IV. 22. ὁ λόγος τῆς σωτηρίας Act. XIII. 26. λόγος τῆς κατὰλλαγῆς II. Cor. V. 19. λόγος τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας Eph. II. 13. &c. (2) *ratione promulgationis*, quia *nuncium illud latum*, de nostri *restauracione*, per *Messiam* præstita, nobis in *verbo Dei* revelatur, & jussu Dei per *ministros Evangelii* denunciatur. (3) *ratione annunciationis*, quia *mediante verbo Filius Dei* tum in *V. T.* per *promissiones*, tum in *N. T.* per *Evangelicas conciones*, *Evangelii doctrinam* annunciauit, & idem etiam *prophete Testamenti Veteris*, & *Apostoli præcones Evangelii* fecerunt. [4] *ratione predicationis*, quia non aliter, quam per *verbum Evangelii* *mysteria* prædicantur, propagantur & in *Ecclesia* conservantur.

11. *Partim Ministerialis*, quæ sunt *Ecclesie Ministri*, qui propterea peculiare nomen *Evangelistarum* sortiuntur, & *Evangelistæ principali Christo* subordinantur. Ubi tamen observandum, quod respectu *Status Exinanitionis Christi* etiam vere fuerit *Minister Evangelicæ predicationis* (1) quia fuit *Minister circumcisionis* Rom. XV. 8. ubi *Paulus* emphaticis verbis ejus rei *testimonium* profert: *Dico, Jesum Christum ministrum fuisse Circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum* (2) quia *servus Dei* vocatur in eo, quando missus, tanquam electus, ad prædicandum, ut ex collatione *Esa. XLII. 1. Ecce servus meus, sustentabo eum, electus meus: complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus profert: & Matt. III. 16. 17.* manifestum. Confer. *Esa. LXI. 1. seq. Luc. IV. 18.* *Angeli* quoque passim in *apparitionibus Evangelistæ*, vel *Evange-*

Evangelii pracones extraordinarii fuisse leguntur. Ordinarie v. tantum homines Evangelii ministri sunt, quod modo prolixius exponere nolumus.

12. *Vel Materialis: nam Materia circa quam Evangelii vocatur hic Remissio peccatorum, quia Christus in Evangelio jussit praedicari remissionem peccatorum: vel circa bonitatem, gratiam & misericordiam Dei, nobis in Christo manifestatam, occupatur, quod itidem articulus praesens indicat: vel denique circa beneficia divina, nobis in Christo parta, quibus nobis contra peccatum auxiliatur, Evangelium versatur, ut itidem noster articulus habet. In quibus nulla prorsus vel pugna, l. rigorosa differentia reperitur, sed diversis respectibus observatis, suavissimus concentus in his omnibus, ex B. Lutheri sententia deprehenditur. Nam si principium restorationis attendimus, Evangelium versari dicitur circa gratiam, bonitatem & misericordiam Dei, quae nostrae salutis & restorationis est origo. Sin oculos nostros ad restorationis meritum & fundamentum convertimus, facile deprehendimus, quod Evangelium circa merita, beneficia, vel auxilia Christi, quae contra peccata nobis attulit, annuncianda, salubriter occupetur. Si vero respicimus nostrae restorationis modum, ipsumque subjectum restorationis, & objectum, a quo restauratio fieri debeat, videl. peccatum, omnis Evangelii doctrina circa remissionem peccatorum consistere dicitur, quia ubi remissio peccatorum est, ibi reperitur Dei gratia, Christi justitia satisfactoria, & hominis peccatoris justificatio, vel salus aeterna. Quae B. Lutherus omnia h. l. conjungere voluit, ut eo planius objectum Evangelii describeret, eoque plenius nos in ejus cognitionem deduceret. Materia in qua, sive subjectum, est totus mundus, quia Deus, juxta B. Lutherum, & manifestum Dei verbum, jussit praedicari remissionem peccatorum & verum Evangelium in UNIVERSO MUNDO, ut patet ex Matth. XXII. 19. Marc. XVI. 15. Luc. XXIV. 47. Causa materialis ex qua h. l. proprie non datur, adeoque nec Evangelio proprie loquendo competit, analogice tamen Verbum vocale generaliter appellatur, specialiter respectu V. T. verbum e-*

παγγελίας, vel *promissionis*, respectu N.T. verbum *annunciationis*, quia Deus, quod in V. T. variis *promissionibus* pollicitus erat, illud *annunciatione manifesta* fidelibus in N. T. prædicari, vel revelari curavit: vel etiam *divitiarum promissionum divinarum*, de *spiritualibus & cælestibus beneficiis*, materia ex qua locum sustinere possunt.

13. Vel *Formalis*, quam itidem B. Lutherus hic introducere voluit. Videtur a. proponere *causam formalem internam*, quæ consistat in *superabundantibus & liberalibus divitiis gratiæ & bonitatis divine*, hoc Evangelii verbo comprehensis, propter quas *abundantissimas divitiarum latissimum nuncium* nobis est, & optimo jure sic appellatur. *Externa v. forma* consistit in *predicatione*, vel *annunciatione*, quia Christus *predicari* jussit *remissionem peccatorum*, & *nuncium* non aliter, quam per *annunciationem* fieri potest. *Uno verbo Evangelii forma* consistere dicitur in *Evangelicis promissionibus Gratiæ & Misericordiæ divine*, in Christo Mediatore fundatis, quas alii *Theologorum* aliter considerant, & *abyssum Misericordiæ & gratiæ divine* in illis admirantur. Dn. D. Christian. Matth. in *system. Theolog. Minor. p. 239.* *Promissiones Evangelii*, juxta tres *circumstantias & vulgatissimas questionibus* considerat: *Quæ, Qualis Quanta* (1) *Quæ?* *Promissiones Evangelicæ* vocamus illa scripturæ dicta, quæ de *gratioso & misericordi Dei affectu & voluntate* erga homines lapsos agunt, quæ *annunciantur peccatoribus*, tam quod Deus non velit quenkquam perire, sed omnes homines salvos fieri, tum qua ratione possint effugere *maledictionem legis*, iram Dei & æternas poenas, videl. si agnita veritate *pœnitentiam* agant, inque Christum Mediatorem credant, iis verò, qui jam actu in Christum credunt, *annunciant gratiam Dei & remissionem peccatorum*, & *promittunt vitam æternam gratis.* (2) *Quales?* *Promissiones Evangelicæ* ratione *qualitatis* dupliciter considerantur (1) *in genere*, qua ratione sunt *purè & merè gratuita*: siquidem nos [*δορεαὶν*] *gratis*, Dei *Gratiæ* justificamur, ut docet D. Paulus Rom. III. 24. Jam v. nos justificamur non ex lege, sed ex *Evangelio*: E. *promissiones &*

Evangelica absolutè & in se considerata sunt purè & merè gratuita. (2) *In specie v. quod Modum attinet, non sunt gratuita absolutè h.e. omni respectu & modo.* Nam l. considerantur respectu Christi, l. respectu Nostri. *Respectu Christi* considerantur quoad impletionem. Sic *promissiones Evangelicae* non sunt purè & merè gratuita. Quia beneficia Christi in *Evangelio* nobis revelata & oblata charè ipsi constiterunt. *I-* plenamq; non auro, neq; argento, sed *sanguine suo precioso* nos redemit *I. Pet. I. 19. I. Cor. VI. 19. 20.* *Respectu Nostri v.* considerantur quoad applicationem. Sic sunt purè & merè gratuita. Siquidem *gratuitum* est, si quid præter, imò cōtra alicujus meritum, ex gratia ipsi offertur & confertur. Jam v. *Promissiones Evangelicae* præter, imò contra nostrum meritum, ex mera Dei gratia & misericordia nobis peccatoribus poenitentiam agentibus offeruntur & conferuntur *Esa. LII. 3. Gratia venundati estis & absq; argento redimini Rom. III. 24. Justificamur Gratis, Dei gratia &c.* (3) *Quanta?* *Promissiones Evangelicae* ratione quantitatis consideratae sunt *Universales*, quia ad omnes in Mundo homines se extendūt. *Christus n. qui cor est Evangelii, totius mundi Luc. II. 11. & omnium hominum est Salvator I. Tim. IV. 10. ipse est agnus, qui tollit peccata mundi Job. I. 29.*

14. Vel *finalis*, quod debeat esse *divinum consilium* & *auxilium nobis contra peccatum.* *Consilium Dei* vocatur *Evangelium* (1) quia summæ vel infinitæ sapientiæ divinae prorsus admirabilis effectus est: sapientia v. miseros consilio juvare solet. (2) quia disertis verbis *consilium* appellatur *Act. XX. 27.* (3) quia salvator noster Christus etiam *consiliarius* vocatur *Esa. IX. 6.* (4) quia *latum* illud nuncium hominibus miseris, & consilio salutis indigis, divinitus revelatum est: verè proinde *consilium* indigitatur.

15. Vocatur autem *Evangelium consilium contra peccatum* (1) quia monstrat agnum Dei, qui tollit peccata mundi *Job. I. 29.* (2) quia docet remissionem peccatorum gratuitam, adeoque *remedium exoptatissimum* est contra peccatum (3) quia nos informat de gratia Dei, peccata condonante, de merito Christi, pro peccatis satisfaciēte, de Spiritu S. corda

nostra à peccatis sanctificante: qua ratione Consilium suggerit contra peccati radicem, sensum, dominium & reatum.

16. Præterea quoque dicitur hoc Evangelium Verum Auxilium contra peccatum (1) quia est potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. I. 16. (2) quia Evangelii sermo vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingit usq; ad divisionem anime ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis Heb. IV. 12. (3) quia verbum crucis (& Evangelii) pereuntibus quidem est stultitia, sed his, qui salvi fiunt, nobis Dei virtus I. Cor. I. 18. (4) quia pertinet Evangelium ad spirituales armaturam contra quosvis hostes spirituales Eph. VI. 17. Assumite gladium Spiritus, inquit Apostolus, quod est Verbum Dei, verbum Evangelii.

17. Hactenus generalem ex articulo præsentis de Evāgelio doctrinā notavimus, Specialis doctrina varios Evangelii modos, juxta B. Lutherū, conferēdi respectu Dei, consequendi respectu nostri, finem Evangelii complectitur. Finis ille, sicut observatum, hic est, ut Evangelium sit consilium & auxilium contra peccatum, vera nim. peccatorum remissione. B. Lutherus a. quinq; potissimum modos hic recenset, quibus finem hunc obtinere possimus, videl. (1) Per vocale verbum, quo jubet Deus prædicari remissionem peccatorum in universo mundo. [2] per Baptismum, qui nos abluit à peccatis (3) per Venerandum Sacramentum Altaris, in quo verum peccatorum Antidotum, Corpus & sanguis Christi Salvatoris, nobis ad manducandum & bibendum offertur. [4] per clavium potestatem, qua peccata, juxta Christi Salvatoris institutionem, peccatoribus resipiscentibus condonantur. Huic denique (5) mutuuum fratrum colloquium & solatium, videl. ex fide vera profectum, subjungitur, quod per mutuuum colloquium & consolationem fratrum Evangelii finis, nim. remissio peccatorum, obtineatur, juxta Matt. XIX. 20. Ubi duo, aut tres fuerint congregati in nomine meo, sum in medio eorum.



VO 17

